



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

Capitvlvm XXXV. Ex insinuatione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

nem, in cuius demortui locum hæres succedit; cùm iuris fictione hæres eadem persona cum defuncto intelligatur, Autent. de iure iurando à moriente præstito, coll. 5. & cum Glos. communiter hic docent interpres.

Secundò, quòd aliter dicendum, si Comes ab aduersario vigore rescripti, ante mortem suam in iudicium vocatus sit: tunc lite cum cocepta per citationem, obligatio ex rescripto transiisset ad hæredem eius Comitissam, sicuti ex hoc ipso c. colligitur per sensum contrarium, & docet Gl. recepta ver. viueret.

Tertiò, quòd aliter dicendum, si debitum ex mutuo incubuisse Comiti non obligatio personali, sed ratione rei, sive quatenus erat possessor Comitatis: tunc enim Comitissa, ad quam Comitatus deuolutus, vigore eius rescripti cum clausula generali, conueniri posset, vti eadem Gl. annotauit, & constat ex c. dilecti 17. de foro comp. ex quo habetur, quòd Prælatus successor per eiusmodi generalem clausulam conueniri possit, tametsi rescriptum imperatum sit, dum antecessor viueret: quandoquidem Prælatus per se non conuenitur, sed ratione ecclesiæ aut dignitatis, quæ non extinguitur, sed ab uno Prælato ad alterum transit, argum. c. quoniam Abbas 14. de off. deleg. Atque ita docet Ioan. Andr. hic n. 12. Abb. n. 4. Quare etiam vice versa, si Prælatus nomine ecclesiæ sua literas à Papa impetravit, eo mortuo, successor quoqæ illis vti poterit.

### CAPITVLVM XXXVII.

#### Ex insinuatione.

##### P ARAPHRASIS ET SVMMA.

Litteræ exemptoriæ valent, tametsi monitoriæ non præcessint: præterquam si in exemptoriis mentio fiat de monitoriis: tunc enim obreptitiæ illæ erunt, quippe per falsi oppressionem impetratae.

Vide quæ suprà dicta sunt in c. Capitulum S. Crucis 3 o. hoc tit.

### CAPITVLUM XXXVIII.

#### Mandatum.

##### P ARAPHRASIS ET SVMMA.

*Si duo ad eandem ecclesiam à Sode Apostolica mandatum adferant, de prouidendo ipsis canoniciatu, & in posterioribus literis clausula continetur. Si proalio non scriptissimus, gratiam hanc exequaris; hoc casu non debet prouideri posteriori, si illi qui prius impetravit, promissum fuerit: quia non est intentio Papæ, collatorem ordinarii grauare super receptione, & su insinuatione duorum, nisi id exprimatur.*

**S**ed quænam fuit ratio dubitandi, cùm in secundo mandato expresse posita fuerit conditio, si proalio non scriptissimus, qui gratiam prosequatur? Responderet bene Gl. Ideo dubitatum fuisse, quia conditio posita fuit de præsente: Nemo autem tunc prosequebatur, seu beneficium petebat; sed prior, pro quo scriptum fuerat, beneficium iam obtinebat. Nihilominus decernit Greg. IX. Papa, posterius mandatum reiici posse; quia si vni impenetranti prouisum sit beneficium, satisfactum est intentioni Papæ; cùm is nolit ecclesiam super receptione duorum grauare, prout etiam colligitur ex c. penult. cod. tit. in 6.

**N O T A N D V M I.** Si Papa mandet aliqui canonicatum in ecclesia prouideri, necesse non est de præbenda mentionem fieri. Quia præbenda debetur Canonicu; adeoque est quid consequens ad canonicatum, iuxta c. Si clericus 11. & c. si postquam 14. de præb. in 6. Qui autem vult antecedens, vult etiam consequens, & qui mandat principale, mandare etiam censemtur accessorium. Ita Abb. hic n. 1. & in c. dilectus n. 6. de præb.

**N O T A N D V M II.** Collator ordinarius per mandata Apostolicæ Sedis super beneficiorum prouisione, censemtur grauari. Quia beneficij collatio, cùm sit gratia & donatio quædam, pertinet ad exercendam liberalitatem Prælati: præsertim erga eos, quae